

G. D. F.
APHORISMI NONNULLI
ATHEISMUM
OECONOMIAE INI-
MICUM
ADSTRUENTES,
QUOS

Suff. Ampliss. ad Auram Fac. Philos.

PRAESIDE

DN. PETRO KALM,

Oeconom. PROF. Reg. & Ord. Reg. Acad. Scient.

Holm. nec non Societ. Lit. Ups. MEMBRO,

Bonorum censurae modeste submittit

MICHAEL MONTIN,

V. D. M.

OSTROBOTNIENSIS.

In Acad. Majori Die XXVIII. Jun. MDCCLX.

L. H. Q. S.

ABOAE, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL.

-i-

Viro Admodum Reverendo atqve Praeclarissimo,

D:no Mag. JACOBO GARVALIO

Pastori Animarum, qvae Deo in Sjikajoki colliguntur
vigilantissimo, viciniquve Contractus Praeposito
gravissimo.

Viro Admodum Reverendo atqve Praeclarissimo,

D:o Mag. PETRO N. MATHESIO

Pastori atqve Praeposito in Pyhaejoki vigilantissimo ad-
curatissimoqve.

Viro Admodum Reverendo atqve Praeclarissimo

D:no Mag. JACOBO SALMENIO

Pastori atqve Praeposito in Paldamo Meritissimo
gravissimoqve.

Viro Plurimum Reverendo atqve Praeclarissimo

D:no THOMAE STENBECK

Pastori Ecclesiae Brahestadiensis Dignissimo meritissimoqve.

Patronis Dignissimis.

Ob beneficia praestita, qvae, qvamdiu spiritus hos regit artus, devota venerati mente non desistam, Vobis, Patroni atqve Fautores Optimi, hasce levissima Minerva adumbratas lineolas, consecrare sustinui, quod ut ignoscatis certo certius spero. De cetero pro incolumitate Vestra perenni Deum ter. O. M. precibus nunquam non fatigabo, permansurus.

Admod. Reverend. atqve Praeclariss. Nominum vestrorum.

Cultor humillimus.
MICHAEL MONTIN.

-ii-

Viro Plurimum Reverendo atqve Clarissimo
D:no SIMONI APPELGREN
Vice Past. atqve Comminist in Paldamo laudatissimo.
Viro Plurimum Reverendo atqve Praeclarissimo.
D:no Mag. ERICO CASTREN
Consionatori legionis Pedestris ostrob. vigi-
lantissimo.
Viro Plurimum Reverendo atqve Clarissimo.
D:no SAMUELI MONTIN
Comministro in Pjikis dignissimo Patruo Carissimo.
Viro Plurimum Reverendo atqve Clarissimo.
D:no ERICO FROSTERO
Commionistro in Haukipudas vigilantissimo, Affini
Exoptatissimo.
Viro Plurimum Reverendo atqve Praeclarissimo.
D no Mag. GEORG. MATHESIO
Comministro in Cronoby vigilamissimo.
Viro Perqvam Reverendo atqve Doctissimo.
D:no ANDREAE DURCHMAN
Comministro in Vihandi Dignissimo.

Tot & tanta Vestra sunt beneficia mihi praestita, ut non possim non eadem hisce paucissimis depraedicare venerationemqve meam vobis debitam qvae in praecordiis meis immortalis flagrat fervore, significare, quod ut more solito, hoc est, fronte benigna adspiciatis est quod iterum iterumqve obtestor. Quod reliquum est, ex intimis voveo, ut felicissimi ad ultimos utqve mortalitatis terminos vigeatis floreatisqve. Permaneo.

Nominum vestrorum.

Cultor observantissimus
MICHAEL MONTIN.

-iii-

Huldaste Moder.

Jag wore ostridigt den otacksammaste under Solen, om de af min Huldaste Moder mig så ymnigt ertedde wälgjärningar, wid detta tilfälle skulle med tystnad förbigås. Alt ifrån min sväda barndom, har min Huldaste Moder, ömsint haft både möda och kostnad, för mitt wähls befrämjande osparde. Försynen behagade wäl, nog tidigt beröfwa mig den hjälp jag i min Saligen Afledne Käraste Faders Lif haft at förwänta; men denna swåra afsaknad, har min Huldaste Moders ömma wård giordt drägelig. Hwad kan jag wäl upofra emot slik ömhet och godhet? Intet utan toma ord, och de äfwen

otilräckeliga, at kunna afskildra den erkänsla, som så mångfalldiga wälgjärningar fordra, och wärckeligen in i sielfwa Döden beständig hos mig förwares. Dock til prof uppå den wördnad, hwarmed mitt inre är upfyldt, får jag lof at i barnslig ödmjukhet öfwerlämna, Min Huldaste Moder förstlingen af hennes på mig använda kostnad: detta ringa Arbete, som upgier Gudlöshetens skada i Hushållningens befrämmande: I öfrigit skal wara mit största nöje, at upsända både täta och ifriga suckningar til Allmachten, om mångfalldig wälsignelses utgjutande öfwer Min Huldaste Moder i tid och i ewighet. I öfrigt Lefwer jag och Dör.

Min Huldaste Moders

Ödmjuklydigste Son
MICHAEL MONTIN.

Onnen-Toivotus.

Maan Michellen' Mocommalie, ystäwälle ylimmäisell
Weljellen' Walitulle.

Ilman tieto Jutteliain,
Painu Micheli Parnassille,
Julki caunist todistain,
Jumalan kiellon maacunnille,
Onnett' mutta tuottawan,
Jonga tähden kunnian,
Sulle uscon wuotawan,
Kaikild jotc' ei munnian,
Oikiast järiest harhaile,
Joiden cansa paucutan,
Jättän asian parhaile,
Taiwan portin reunalle,
Että onne laucuttan,
Herra sulle Siunaille!!

-iv-

APHORISMUS I.

Quando recta mentis lance Divinas evolvimus perfectiones, facile deprehendimus hominem in prima creatione in felicissimum collocatum esse statum, in quo, modo in eo perstitisset, non potuisset non gloriam Numinis summa cum alacritate celebrare, propriamque suam felicitatem maxima cum efficacia promovere; quia utraqve harum sibi invicem est conjunctissima, adeo ut haec sine illa ne concipi quidem, nedum dari possit. Ast facta, uti turpissima, ita nunquam satis deploranda a Deo defectione, totus quantus homo non solum plane ineptus ad gloriam Divinam vere amplificandam aeternamque suam felicitatem promovendam evasit, verum etiam, ut conservationi suae in statu naturali collocatus consulere posset, aliter non fuit possibile, quam per imperium civile. Nam licet verissimum sit, legem Divinam naturalem omnibus pacem atque concordiam

-1-

mutuam colendam injungere, quum tamen vindicta Numinis, in lege hac delineata, lento plerumque procedat gradu, necessum est, ut licentia hominum, adfectibus suis vesanis plus justo indulgentium, mali praesentis, quod metum illi incutit, repraesentatione in gyrum rationis atque officii ducatur; alioquin unus alterius vitae conservationi non periculosissimis solum insidiis impedimento foret, verum etiam eandem penitus everteret, planeque destrueret, adeo ut non posset non ruina toti generi humano impendere certissima planeque inevitabilis.

APHORIS. II.

Evoluta in antecedente aphorismo, quantumvis brevissimis, necessitate imperii civilis, facillima nobis patet via ad incommoda, quibus *atheismus*, ceu plane horrendus cerebri laborantis foetus, obnoxius est, dilineanda, in quantum haec mala oeconomiae flori adversentur. Nam vel nobis non monentibus, nemo, nisi admodum hospes fuerit rerum humanarum, ignorat, florem oeconomiae tam privatae quam publicae ex toto in benedictionis Divinae abundantia atque bonis sapientibusque imperii civilis statutis verti.

-2-

Quod oeconomiam publicam attinet, illam ejusque florem sine imperio civili inter svavia poetarum somnia absurdasque chimaeras referendam esse, quis est, qui non videat; oeconomia vero privata sine publica, si non plane nulla, certe miserrima foret, ut exemplo quarundam gentium Africanarum Americanarumque plus satis constat, quippe qui latronum, immo brutorum potius, quam hominum repraesentant coetus. Praesupponit itaque oeconomia in corrupto hoc mortalium statu, priusquam debito florescere queat vigore, imperium civile. Sed quemadmodum religio, praesertim vera, est unicum & firmissimum vinculum, quo membra, corpus imperii civilis absolventia, inter se connectuntur, utpote omnes, quotquot sanae sint mentis agnoscunt, ita e contrario atheismus omnia societatis tollit vincula; quippe qui omnem felicitatem sensualium pravorumque adfectuum decempeda metitur. Exhinc itaque in genere patere existimaverim atheismum oeconomiae esse hostem infestissimum pessimumque; quod ne gratis dictum esse quis arbitretur, sequentes addere aphorismos non pigebit.

-3-

APHOR. III.

His praestructis instituti requirit ratio, ut ad veritatem rei praesentis demonstrandam paulo attentius ipsam notionem, quam infert vocabulum atheismi, evolvamus. Per *atheismum* nihil impraesentiarum aliud intellectum volumus; quam *complexum illorum omnium, sive mentis & doctrinae sint, sive vitae, quibus existentia Dei aut diserte, Aut per necessariam consequentiam, abintelligente negatur & tollitur: vid. Celeberr. D. D. Waller. Praenot. Theol. Part. I:ma §. 222.* Ex allata definitione illucescit, atheismum non solum tollere intrinsecam essentiae Divinae possibilitatem actualitatemque existentiae ejus sanctissimae, verum etiam omnia actionum motiva, ex consideratione perfectionum Divinarum expromenda. Nam sublata actualitate existentiae Divinae, ut insimul tam providentia Divina quam libertas voluntatis & spes immortalitatis tollatur, omniaque fato inevitabili & absolute necessario subjiciantur necessum est; his vero proscriptis atque fato absolute necessario in rerum natura introducto evanescit omnis religio, quae actionum motiva ex perfectionum Divinarum consideratione nobis injungit; evanescit bonus ordo;

-4-

evanescit morum honestas, evanescit denique diligentia, quae impedimenta naturae superat & in omnibus rebus oeconomicis plurimum valet.

APHOR. IV.

Atheismus alius est theoreticus, alius practicus; uterque cum oeconomiae flore promovendo inestissimis dimicat cornibus; ille omnem una cum existentia Divina tollit religionem atque fundamenta imperii civilis, uti in antecedente jam paucis observatum ivimus, atque sic res oeconomicas potius disturbat labefactatque, quam promovet. Nam ut religio vera instruit nos de vero Deum colendi modo nosque ad actiones nostras perfectionibus Divinis conformiter instituendas componendasque obstringit, ita & benignissimum illud Numen quasi impellit ad uberrimos bonitatis suae plane immensae thesauros nobis distribuendos, felicemque successum rebus atque susceptis nostris largiendum. Unde quot & quanta incrementa, quantumque roboris ac vigoris res oeconomicae accipiant vel talpa caecior videt. His vero omnibus athei theoretici non solum carent, verum etiam iram atque vindictam Divinam ad mala quae-

-5-

vis, quibus ceu iudex justissimus vesaniam hominum hujus farraginis coercere quaerit, in illos effundenda excitant, hoc est, iram Dei ad res oeconomicas bellis, annonae caritate, variisque aliis modis disturbandas provocant. Nam non tantum docent hi versipelles nullum existere Deum, sed etiam actionibus suis satis superque ostendunt se de omnibus, quae impio profitentur ore, esse persuasos quamvis conscientiae stimuli haud raro recurrant vesanamque eorundum securitatem concutiant. Atheismum theoreticum fundamenta, quibus salus atque tranquillitas publica innitur, dissolvere sudo clarius est; nam pactum, in quo ceu cardine sancte servando tota civitas mirum quantum vertitur, violare pro nihilo putat homo hujus furfuris. Dic quaeso: quatenus vis, quatenus efficacia & obligatio pacta servandi, sublata lege Divina naturali, remaneat? nulla certe, sed potius stultitiae esset pacta cum hominibus inire, qui persuasi sunt se ad eadem custodienda non ulterius, quam in quantum cum commodo proprio, quod sibi proposuerunt, conveniunt, esse obstrictos. Vides itaque vix & ne vix quidem graviolem generique humano magis noxiam pestem atheismo excogitari posse.

-6-

APHOR. V.

Evicto atheismum theoreticum oeconomiae esse inimicum, ut paucis practicum quoque oeconomiae esse adversantem adsiramus [/adsidamus?], rei requirit ordo. *Athes practici sunt, qui factis, ex pravo Deum negandi habitu & instituto profluentibus, susque deque habita admonitione de vindicta & ira Divina, testantur Dei agnitionem omnemque ejus timorem ex animo esse expulsum. vid. Wall. Praenot. Theol. P. I:ma §. 125.* Hinc nemo, cui sanum est sinciput, negare potest hujusmodi homines esse oeconomiae impedimento; nam quo conformiores actiones nostrae sunt perfectionibus Divinis, eo majorem influxum habent in vitam nostram, etiam temporalem, quae certe actionibus malis non solum concutitur, verum etiam haud raro penitus evertitur; sed omnis oeconomia eo tendere debet, ut vita nostra, si non felicior per eam reddatur, certe ejusdem conservationi aliqua ratione consulatur, quod non actionibus voluntati Divinae, in lege saltim naturali patefactae, adversantibus fieri posse jam diximus.

APHOR. VI.

Diligentiam, quae est ipsa anima oeconomiae ejusque floris, per atheismum apud

-7-

plerosque evanescere in antecedentibus jam verbo saltim attigimus, hanc vero thesin ceu constantissimam ut paulo attentiori evolvamus animo haud indignum est. Pigritia & vita dissoluta sunt quasi sorores co[n]junctissimae; quia per vitam dissolutam homines ad quaevis negotia obeunda expediendaque reddi plane ineptos, res ipsa & experientia quotidiaana satis superque ostendit. Atheismus vero est ipse fons vitae dissolutae, quippe qui omne suum bonum felicitate sensuali absolvi arbitratur, ut reliqua taceamus; atheismo itaque in thronum rerum humanarum evecto, non potest non diligentia apud permultos penitus evanescere. De cetero quo majora sunt motiva, diligentiam nobis injungentia, eo major quoque est diligentia; sed ubi atheismus clavos tenet imperii, ibi nulla alia dantur motiva diligentiam colendi, quam quae ex felicitate sensus titillante deducuntur; ubi vero religio vera florescit, ibi infinita nobis suppeditantur motiva, ex consideratione perfectionum Divinarum exorta: diligentiamque non uno tantum aut altero modo nobis commendantia. Quid? quod atheismus omnia absoluta necessitate dirigi doceat. Frustranea itaque est diligentia, quae in ferrea rerum immutabilitatis serie nihil quicquam efficere potest. Hinc non possunt non athei educationem liberorum variarumque artium, quae ad florem oeconomiae promovendum augendumque mirum quantum faciunt, peritiam non negligere modo, verum etiam ceu res stultitiam redolentes, penitus rejicere. Forent multa adhuc proferenda, quae atheismum oeconomiae esse inimicum adstruerent, sed rationes haud leves, ut allatis adquiescamus, nobis injungunt.

-8-